Hierinnen seyn die speciellen piecen, die thornischen Händel betreffend.

1. Königl. pohlnische Schreiben an den Czar, 1719.

2. Russiae Imperatoris Litterae ad Regem Poloniae, 1722

3. Constitution des in Warschau anno 1724 angefangenen Reichs-Tag 1725.

4. Königl. preussische Schreiben an die Könige von Pohlen, Groß Brittannien, Dennemarc und Schweden in thornischer Sache, 1724.

5. des Königs in Preussen anderweitiges Schreiben an den König in Pohlen und Rep. ~~1725~~ Denn. und Schwe. in der Thornischen Sache 1725.

6. Königl. Dänisches Schreiben an den König in Pohlen, wegen der Thornischen Sache, 1724.

7. zwey Königl. Schwedische Schreiben an den Kayser in dieser Sache, 1725.

8. Thornische denckwürdigkeiten, Berlin, 1726.

9. Urtheil nach Preussen an eine Gemeine in Teutschland wegen der Thornischen Sache. 1725.

10. Bericht von der pohlnischen Sententz und Execution in der Thornischen Sache. 1724.

11. Rösneri s. joh. Gottfr. Grabschrifft, 1725

12. Roseners trostrede aus der heiligen Schrift, an die bedrängten Glaubensgenossen 1725.
13. Verse auf H. Roeseners tod, 1725.
14. S. Ign. L. (der entlarvte jesuit, 1725.
15. H. Finch, des Englischen gesandten an den König in Pohlen rede. 1725.
16. Antilojola seu Confess. Euseb. (beschreibung des jesuiter ordens, 1725.
17. Litteræ et scripta in quibus continentur Gravamina et Responsiones Respublicæ Poloniæ contra Regem Borussiæ, 1725.
18. Aulæ Berolinensis Responsio ad Gravamina R. P. Poloniæ, 1726.
19. des Primatis in Pohlen Universalien, wegen Absterben Königs Augusti, II. Breslau 1733.

20 Seconde Lettre d'un Hollandois a un Ami Prussien, ~~MS.~~

21. Epistola de prospera Electione Regis Poloniæ, 1733.

22. falsitas Narrationis de Electione Stanislai et Augusti III, 1734

23. Veræ Rationes quæ dederunt motivum ad disprobandam Electionem Stanislai in Regem Poloniæ, 1734.

24. Pacta conventa entre la Republique de Pologne et frederic August Duc de Saxe, 1733.

25. Motifs des Resolutions du Roy de Pologne et a Reponce a Vienne, 1733.

26. reponce du Comte de Golowkin au Grand vizir, au sujet des affaires de Pologne, a Varsovie, 1734.

27 Capitulation zwischen der Vestung Weichsel-munde und der Russischen und Sächsischen Generalité 1734.

28 Brieff wegen der von denen pohlen verlobten Völckern, welche,

29 Resultat de la Confoederation de Pologne, 1735.

30. Manifestatio Confoederatae Reipublicae Poloniae patriae insinuata, 1735. cum replicatione,

31 Continuation der Warschauer Confoederation 1735.

Ad Scriptum quoddam Regiomonti in Borussiâ sub die 30. Julii Anni currentis 1735. emanatum, quod

Manifestationis Confoederatæ Reipublicæ

præ se fert Titulum,

Brevis ac sincera Replicatio.

E Meditullio Regni Poloniæ Mense Augusto.

ANtequam imminentia Generalia Statuum Reipublicæ Comitia, à Serenissimo Rege *AUGUSTO TERTIO* ritè ad Vota Populi & universales Palatinatuum, Terrarum & Districtuum Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ instantias, pro die 27. Septembris Varsaviæ designata, de Actis Coetûs Regiomontani, tum & de sorte Eorum, qui illum componunt, decernant; antequam Insolentiæ modum ponant, ausum reprimant, injurias vindicent, Majestatisque Regiæ Coronati Capitis respectum inculcent; Nunc minimè visum est, ullo publico Instrumento Manifestationis Regiomontanæ nuper emanatæ; tanquam temeræ ac per se invali-

 dæ,

dæ, contenta refellere, aut cœtui Privatorum (etsi formam Reipublicæ extra Rempublicam indebitè usurpent) quibus volupè ærumnas Patriæ suæ, quas ipsimet causarunt, protrahere, Dignitatem Reipublicæ opponere.

Attamen ne repletis dolosâ querelâ paginis, obtrusisque Malevolentiæ artificiis, ac variâ rerum insubsistentium congerie multorum Credulitas decipiatur, operæ pretium fuit, justiori informatione fidem publicam instruere.

Sed adæquatos malitiæ, quæ modum excessit, terminos, aut parem indignis scommatibus rimam, nemo in Responso hoc expectet, longè enim ab honestis injuria, à cordatis abest altercatio; ipsi viderint, quid expectare debeant, qui pro læsæ Majestatis ac Status Criminibus rationem reddituri sunt.

Scriptum hocce Regiomontanum specioso quidem insignitur titulo: Nos Status & Ordines Regni Poloniæ & M. D. L^æ^. &c.&c. Sed cui Status, forma, & Regimen Polonæ Reipublicæ nota sunt, cui Acta, Codices & Annales Regni hujus constant, facile occurret, Cœtus ejusmodi, Congressus, seu Conventicula quævis extra Regnum formata, multo magis Authoritatem Statuum Reipublicæ sibi Arrogantia, nusquam aliter, quàm pro *seditioso secessu* censeri & haberi.

Si olim Respublica Polona ægrè ferebat, dum in Hungariâ de rebus Polonicis consulebatur, quamvis idem Caput Poloniæ & Hungariæ simul cingebat Corona; Si Sigismundo

do Tertio è Sveciâ ad Thronum Poloniæ vocato, nusquam permiſſum in Sveciâ Reipublicæ momentis vacare; Si Augusto Secundo Regi deſideratisſimo, ſimilis per legem impoſita eſt obligatio, ne in Saxoniâ extra Regnum, Regni Gubernacula exerceret, adeò ut ne gratias quidem (quod pure Juri Majeſtatico affectum eſt) foris diſpenſare potuerit:

Quâ demum lege aut legis colore Regiomontani Reſidentes authoriſari poſſunt, ut extra Regnum, ſub Principe alieno, cujus Neutralitas declarata anſam rixarum atque factionum vitare ſvadet, & non niſi pacificum præbet Aſylum, ibidem formam Pſeudo-Reipublicæ repræſentare, acta verò totius & integralis Reipublicæ, in tribus ordinibus coadunatæ, omniaque ad Normam Legum & libertatum ſuarum diſponentis, reprobare præſumant?

Utique illud ipſum novisſimum in Comitiis Electionis compillatum Inſtrumentum, quô omnes & ſingulos ſub gravisſimis pœnis, etiam ad Succeſſores extendendis, obligatos eſſe voluerunt, nequis extra Regnum ſecedere, multò minùs Cætus & Conventicula coadunare præſumat; Hoc ipſum dico Statutum, quod eadem factionis Capita formarunt, cujus ipſi Authores & Violatores exſtiterunt, formam hanc Conſiliorum, quam nunc vendicant, evertit, & annihilat.

Ponunt illi pro fundamento prætenſam Confœderationem ſuam Dzikovienſem: Illam Confœderationem, quâ Arbitrium Supremum Belli & Pacis ſibi uſurparunt, omneſque materias Statûs ad ſe pertraxerunt, quâ Bellum Cæſari clarigaverunt,

 qua

quâ Dominiorum ejus rebellionem apertè fomentârunt, quâ Otthomanicas Tartaricasque ac alias Gentes in Viſcera Patriæ invitarunt, quâ Legationes decreverunt; quâ antiquas Nobiliſſimas Regni familias, quotquot inſolentiæ ipſorum ſeſe opponunt, absque jure & judicio proſcripſerunt, Bonis & honoribus ſpoliarunt; illam dico Confœderationem, quam intra pauca Capita factionis compillatam, pluribus ipſorum Membris ignotam, ſubreptitiè ſubſcriptam, univerſæ Nobilitati imponere volebant; à quâ ſtatim magna Nomina Patriæ ſuæ Bonum ſincerè amantia, tum & Exercitùs Regni cum Ductore ſuo, facta ſolenni Manifeſtatione de Everſione Statûs, receſſere; & quam denique Palatinatus, Terræ, & Diſtrictus, poſtquam ad notitiam ipſorum typis mandata pervenit, & Crimina Status oculis ſubjecit, reprobarunt, atque condemnarunt.

Hanc nihilominus ConfœderationemDzikovienſem pro baſi & fundamento prætenſæ huic Manifeſtationi ſuæ ſubſtruunt, eâque omnes legitimos Actus Reipublicæ in tribus ordinibus ritè Leges condentis, peractos ac peragendos invalidare & annihilare niduntur.

Authoriſare demùm Manifeſtationem ſuam volunt, compillatis multorum Nominibus, quæ Palatinatibus reſpectivis præſidere juſſerunt; multi interim leguntur, qui aut ſervitio Dominis ſuis inibi ſunt adſtricti, nec primævo Actui Confœderationis prætenſæ Dzikovienſis fuerant adſcripti, aut noviter in Conſiliarios & Reſidentes ad latus Regiomonti ſunt ad-

ſci-

ſciti, in locum videlicet Eorum, qui ſeſe ex juſtis motivis perituræ Patriæ, à nexu & cœtu ipſorum avellerunt.

Hinc notum ſit orbi Terrarum Univerſis & Singulis, tam Regibus, Principibus, Rebuspublicis & Earum Vaſallis, quam & omnibus Reipublicæ Polonæ Statibus & Concivibus, Manifeſtationem Regiomontanam, uti contra Statum & Leges Regni emanatam, quinimo protrahendi Belli causâ formatam eſſe, ita ſeditioſam, criminalem, Patriæque ſuæ fore damnoſam. Nam ſi hæc ac tanta audent, dum pauci, omnique ſuccurſu deſtituti degunt, quid non tentarent ſi Auxiliis ſuffulti, prædominari, atque malitiæ exercendæ campum nanciſci poſſent.

Tempus aderit, quo Crimina ſtatûs ac læſæ Majeſtatis, tum & oppreſſæ Libertatis expiandum erit, nunc contemnendum credimus, quod malè loquantur & ſcribant, nam neſciunt benè. Expungendam tamen malitiam cenſemus, quâ liberam Sereniſſimi Regis Auguſti Tertii Electionem *theonino dente* (verbis ipſorum utor) proſcindunt, atque *Uſurpatorem Throni, propriisque ac Moſchicis armis tumidum*, compellare non erubeſcunt.

In aperto eſt, Sereniſſimum Auguſtum III. convenienti magnis Principibus viâ, per Amorem & ſuffragia liberæ Gentis, per oblationem magnorum æmolumentorum Reipublicæ, per Legatorum ſuorum officia Coronam Regni palam quæſiviſſe; Notum pariter eſt, Eundem Principem, cujus Regias Qualitates, & Pietatem, ne ipſa quidem Invidia ob-

obumbrare potuit, à liberrimis Reipublicæ Statibus, qui a contagione Factionis præpotentis, ex rationibus in Manifesto suo solenni pro tunc deductis, Pragam semoti sunt, spontè ac liberè intra terminum Electioni præfixum, electum esse; demum Pactis Conventis, ac nexu Juramenti Reipublicæ obstrictum, ad Thronum invitatum, ritè Coronatum, Regni Gubernacula piè, justè, clementer moderare.

Electus est absens (juxta Legum Patriarum dispositionem) summo Reipublicæ Bono; nam cùm non sit Vicinis nostris obnoxius & infensus, Vicini pariter Pacem & Amicitiam, quam per infracta Jura Gentium violatam sensere, cum ipso, & propter ipsum conservandam declarant.

Electus est ceu Piastus Jagellonici Sangvinis, à quo duodenis rivulis procedit, Ramus desiderabilis.

Electus est ceu Incola Regni, nam Constitutione Comitiorum Grodnensium A. 1726. exstitit Hæres fundorum Terrestrium, quos Serenissimus Pater suus ad, & circa Varsaviam Commoditatis suæ causâ amplos comparavit.

Electus est ceu Regni Indigena, nam de Anno 1652. Serenissima Domus Saxonica, ob merita sua in Rempublicam, Indigenatu donata est.

Hinc evenit, quod anteriori Electione post fata Regis Joannis Tertii indictâ, dum Piastum â Throno excludendum volebant, Primas Cardinalis Radziejowski (uti in Actis Castrensibus Ravensibus Feriâ quintâ post festum Sæ. Margarithæ

V.&

V. & M. A. 1697. exſtant Univerſales ejus literæ ad reiterandam Electionem pro die 26. Auguſti ejusdem Anni indictæ) eâ prorſius ratione Serᵐᵘᵐ Auguſtum Secundum à Throno Poloniæ amovibilem declarabat, quòd Conſtitutione prænotatâ Anni 1652. Piaſtus & Indigena, qualem pro tunc Convocationis acta excludebant, cenſeretur.

Igitur Serᵐᵘˢ Auguſtus Secundus Pater tanquam Piaſtus & Indigena Regni, Serenisſimus vero Auguſtus Tertius filius Ejus, & Princeps Regius Poloniæ & M. D. Læ, tanquam Extraneus & alienigena, mirâ Geniorum variatione, & indignâ Excluſionis arte â cordibus & ſuffragiis Liberæ gentis amovebantur.

Sed popularis hæc multoque Studiô & cuniculis elaborata Excluſio captioſo quantumvis juramento involuta, omnes adeo infaſcinare non potuit, ut Principis hujus Regias qualitates, ac opportuna Patriæ ſub Regno ejus emolumenta, non præviderent, & non exoptarent.

Electus itaque eſt, obſervatis de Lege ſolennitatibus, obſervatâ delicatisſimè libertate vetandi, procul â Copiarum Rusſicarum (prout falſo, uti cætera alia, in Manifeſtatione exaggeratur) adeo ut *Uſurpator* dici nequeat, quem taliter ſana Pars Reipublicæ liberis ſuffragiis ſpontè, nulla impellente factione, ſeligit & eligit.

Si forte Manifeſtantes Regiomontani, qui nodum in ſcirpo quærunt, defectum Electioni Kamionenſi imputant ex eo, quod

quod Primatis defuerat proclamatio, quodque non in loco designato peracta fuerit? Rationes hujus patent amplissimæ in Manifesto ab iisdem statibus Pragæ ad Vistulam publicato, tum & in actis Electionis Ser^mi^ Augusti III. Sed si retrò respicimus, paucas admodum habemus Regum Electiones, quos Primates, maximè ubi partiales animadverterentur proclamassent. Non obfuit Magnis Regibus Stephano Bathoræo & Sigismundo Tertio, etiamsi non in loco designato electi, nec à Primate nominati essent; imo expressum comperimus in Denunciatione Reginæ Annæ Stephani Regis Uxoris, *Electionem Regum non ad locum Electioni designatum, sed ad Eligentes regulari.* Sufficit, quod Ser^mus^ Augustus III. intra determinium Electionis præfixum, ritè ac liberè electus sit.

Quod attinet Copias Russicas, quarum moram Serenissimo Regi Augusto malè imputant; Memoria hominum quotquot in Republica vivunt, minimè excidisse, quando, & quô motivo in Ditiones Reipublicæ intrarunt. Longe ante Convocationis Congressum remonstrabant Ministri Vicinarum Potentiarum, quibus communis cum Republicâ Negotiorum causa, & bonæ Vicinitatis Pacta intercedunt, quatenus talis eligatur Rex, qui nullam Vicinis offensionis & inimicitiarum ansam præberet.

Cum vero Capita Factioni Gallicæ obstricta, sermonem hunc intelligere nollent, iidem Ministri clariùs jam, quà voce, quà scriptim insinuabant, ne fiduciarius Galliæ Candidatus, mul-

multis titulis jam ante obnoxius, & in futurum tranquillitati Septentrionis periculosus, Throno Poloniæ imponatur, salvâ per omnia, quò ad omnes alios Candidatos, libertate Electionis.

Sed dum nec hisce repræsentationibus locum darent, hi, qui pro tunc moderamen Reipublicæ tenebant, Eædem Potentiæ vicinæ, *viribus sibi à Deo concessis* prævenire potius, quam præveniri maluerunt, eoque motivô Copias Russicas in viscera Reipublicæ, *notandum* ante Electionem induxerunt, motivô videlicet arcendi a Throno Poloniæ subjecti Gallici, ne Bellum, quod Gallia Imperatori & Imperio actu apparabat, diversione armorum in Septentrione juvaretur.

De promovendo pro tunc ad Thronum Ser^mo^ Electore Saxoniæ, uti nulla fuit quæstio, quinimo electori Populo omnimoda permissa est libertas, eligendi quem vellent, atque Patriæ suæ utilem crederent, ita nefas est dicere, Ser^mum^ Augustum *armis exoticis suffultum intumescere, aut Thronum alienum usurpare.* Propriâ ille Virtute desiderioque & Suffragiis Liberæ Nationis, evectus est ad thronum, in quo feliciter regnat. Demum indubitatum est, Potentiam Russicam non nisi post Electionem Ser^mi^ Augusti causam communem cum eo fecisse, Ejusque gratiâ Pacem & Amicitiam instaurandam declarasse.

Quia vero ad Regnum venit propriis stipatus Copiis, nemo alter in causâ est, nisi hi ipsi, quorum Consilio

& instigatione, non modo Libertates Nationis atque Tranquillitas Patriæ, sed ipsa etiam Jura-Gentium in Ministris Characterisatis & eorum Residentiis, tuta esse non valebant. Quot & quanti benè sentientium viri dignissimi, captivati, catenis onusti, bonis spoliati, aut exusti, æquales ab æqualibus ad pænas & supplicia impunè trahebantur, aut vinculis detinebantur, usque dum morte finirent miseram sortem suam. Prædominium hoc Dzikoviensium tanto in omnes furore egit, ut nemo tutum se crederet, ni Copiæ Regis Asylum præberent, adeò jus dedit sceleri prætensa Dzikoviensis Confœderatio.

Sed mirare malitiam Lector, hæc quæ faciunt ipsi, Cædes, Lanienas, Vincula, Exilia, Proscriptiones, Devastationes, Incendia, Spoliationes &c. partibus Serᵐⁱ Regis Augusti perfrictâ fronte impingunt.

Comparentur Acta quævis, quocunqve Sancitorum, Resultatorum, sive Universalium nomine venientia, quæ Serᵐᵘˢ Augustus III. unà cum Senatu & Equestri Ordine hucusque sanxit & edixit, cum his, quæ Dzikoviensium animositas peragit: quid quæso in illis continetur, quod formam Legum, & Libertatis, tum Publici Boni, & Clementiæ Regiæ effectum non præ se ferat? quid è converso in istis, quod eversionem Status, Libertatis oppressionem, ærumnas Patriæ, Belli involutiones, furorem & ultionem non spiret? Et quod deplorandum magis, sancita ipsorum ejusmodi,

modi, ſtricto Vinculo Juris-jurandi non authoriſantur modô, ſed jubentur: Ipſa etiamnum Amneſtia, (quam abſoluti aliquando Principes non negant) ab iſtis ſeveriſſimè ſub juramento prohibita eſt, adeò ut ſi frater pro fratre exoret, pœna talionis damnaretur.

Quis Caſtellanum Lendenſem (ut intra plurimos paucos referam) domi ſuæ ſub ſecuritate Nobilitari degentem, pariter & Judicem Poſnanienſem captivavit, priorique mortem violentam cauſavit? Quis incendiis graſſatus, uti in Kargowâ, cujus Immunitas per Capitulationem ſtipulata erat, in Tykocin, cujus Hæres D. Branicki Vexillifer Regni actu apud ipſos in captivitate degebat, tum in Territorio Thorunenſi, in Varmiâ, & alibi?

Sane fatale Reipublicæ Stanislai nomen, ſecundario jam fumantes Patriæ Lares reddit. Non dum excidit memoriâ tôt Arcium & Caſtellorum, (incipiendo à Cracovienſi) oppidorum & vicorum fax incendiaria; horrorem hucusque incutiunt combuſta, & è cineribus proſtantia ampliſſima Bona Radzivilliorum, Sieniavy Caſtellani Cracovienſis, Szczuka Pro-Cancellarii Lithuaniæ, Miezczynski Theſaurarii Curiæ Regni, ac aliorum complurium; adeo ut juſtum metum incutiant violentiſſima etiamnum adhærentium Stanislai Conſilia, quibus de factò nullus poneretur modus, ſi tanta vis, quanta malitia foret.

Exprobrant nobis Dzikovienſes Regiomontani perjurium quoddam, ex eo, quod impoſitivum Juramentum Convocatio-

cationis, non ad mentem ipſorum ſecuti fuerimus; Sed nemo noſtrûm obligatum ſe hoc Vinculo credebat, ut Stanislaum, hunc & non alium, eligeret.

Notum eſt jam Orbi Univerſo ſufficienter, quô motu, & quibus curriculis juramentum iſtud fabricatum fuit, quantoque impulſu & violentiâ cogebantur renitentes ad explendum. Fruſtra reclamabant Lithuaniæ & Pruſſiæ Delegati, ſe non eſſe authoriſatos in Congreſſibus à Nobilitate, ut Juramentum illud expleant, multò magis ut reliquam Nobilitatem, quæ ſuum deſuper Conſenſum, minime dederat, obligatam reddant. Fruſtra reclamabant & Deputati ex Senatu & Equeſtri Ordine, ad formandas Conſtitutiones Convocationis à Republica deſignati, Projectum hocce Juramenti à ſe minime concertatum, non examinatum, non communicatum, de repenti prodiiſſe.

Placet hoc loco innuere veridicam relationem, & rationes circa hocce Juramentum expreſſas in Scripto illo, quod per manus Carnificis (adeo veritas offenderat) Varſaviæ rogo demandatum fuit. Notat ibi Statiſta Patriæ ac Libertatis ſuæ amans, rationes juſtiſſimas, quæ Juramentum illud invalidabant: videlicet, quod *non fuerit actus bonæ voluntatis:* quod *non fuerit Sponſio & Votum de meliori Bono Reipublicæ:* quod *non fuerit de re certâ, ſed accidentali & perplexa:* uti jam edocemur revolutione rerum & temporum; quod *fuerit in præjudicium Jurium & Libertatum ipſi-*

ipsiusmet Electionis, tum & in præjudicium anteriorum, solennium Juramentorum; quod *involveret in se Contradictiones & falsa supposita:* denique quod *fuerit subreptitium, talem* videlicet *eligendi Regem, qualis in Constitutionibus describetur:* prius vero Juramentum dictatum est, quam Constitutiones ad notitiam jurantium pervenêre.

Judicet demum quisquis impartialis Judex, utrum Juramento ejusmodi deferre ad mentem factiosorum jus & fas erat? Utrum damno Reipublicæ evidenti manutenendum est? Utrum majoris momenti Leges, & Jura Regni Cardinalia, cæco dolosi hujus Juramenti recessu, subvertenda sunt?

In A°. 1704. Status Reipublicæ in tribus Ordinibus coadunati, per nexum Juris-jurandi sese obligarunt, atque summâ deliberatione per Sancita Confœderationis Sendomiriensis hanc obligationem in ævum assumpserunt, non permissuros, ut is quem pro tunc ad Thronum Regni, Rege vivente, ambitio & Externæ Potentiæ fautoratus evehebat (fuit ille Candidatus pro tunc Seciæ, nunc Galliæ) nunquam eligibilis, aut capax Coronæ efficiatur, sed ut in perpetuum excludatur. Quomodo igitur anterius hocce & tam solenne Juramentum, cui nulla in subsequenti Lex & Constitutio derogavit, tolli & annihilari potuit posteriori Juramento Convocationis? Quod ad solam Electionem Piasti, idque notandum: *Nullo legis nexu innodati,* prout Acta ejusdem Convocationis sonant, institutum fuit. Docet nos pura Theologia, non teneri Juramento, quod peccatum sive damnum

exinde emergens præsupponit; Nonne major nos Conscientia tenere debet, ubi ultimum Patriæ exitium, ubi Nostra ipsorum pericula, imo crimina in Cœlum clamantia maturiori reflexione conspicimus?

Non ignorat certè terrarum orbis, quæ sit Libertatis Polonæ Prærogativa, noscit eam Europa, & adamat adeò ut & Cæsar & Principes Vicini & Guarrantes, Amici pariter & Inimici conservandam, quisque pro ratione suâ putent: Sed hanc bene ordinatam, & intra terminos suos compositam volunt. Ast ubi bonæ Viciniæ & Amicitiæ ligamina disrumpere, Pacta convellere, Jura Gentium violare pergit, mirum videri nequit, si ab his, qui legibus Nostris non tenentur, sanctiorem Pactorum observantiam non experimur.

Ægrè ferunt Dzikovienses Regiomontani, quod D. Zawisza ab Aulâ Roxolanâ redux, literis suis expunxerit, Actisque Tribunalitiis Vilnensibus induxerit, de oblatis scilicet per Christianissimum Regem alteri Potentiæ Provinciis Polonis & M. D. Læ:; Negare tamen minime possunt, subsistere in hucusque Tractatum Sermi Galliarum Regis Benderi in Valachiâ confectum Ao. 1712. (de quo in Corpore Diplomatico, tum & in Lamberti Tomo Septimo folio 608. vestigium habes) quo mediante Kamenecum cum Podoliâ Otthomanicæ Portæ æviternis temporibus, nullo prætextu reclamante, tradendum spondet, dummodo Portha Copiis suis juvare, olim Sueticum, nunc Gallicum Candidatum non gravetur. Fient palam & alii cum aliis Principibus Contractus, quibus eviden-

tius probabitur, velle ſi foret poſſibile, alieni Regni avulſis, hoſtium mercari amicitias.

Literarum Univerſalium Serᵐⁱ Regis Auguſti III. pro Comitiis Pacificationis emanatarum Cenſura, etſi nihil contineat præter inanem verborum pruritum, & lividæ malevolentiæ morſum, quærere tamen juvat, quid tandem mali in illis animadvertant.

Si manutentio Legum ac Libertatum ſpondetur, ſi abuſus, & pericula remonſtrantur, ſi Unio inter Status inſtauratur, ſi modus ærumnarum ac finis Belli proponitur, ſi interna tranquillitas indigitatur, ſi Pax, Amicitia, & Pacta cum Vicinis poſtliminio revocantur, ſi Evacuatio Copiarum externarum (quarum ingreſſus quibus de cauſis ſucceſſit, ſuperius demonſtratur) religioſe declaratur, ſi antiqua forma & Authoritas Reipublicæ reinducitur, ſi Malevoli quoque & Diſſidentes in Statu, funiculis Charitatis invitantur, ſi ex Perſonâ Regis amneſtiâ donantur; Nam hæc & non alia ſunt literarum Regiarum contenta; Sunt ne hæc Crimina Status? ſunt ne in detrimentum Reipublicæ? ſunt ne funiculi Libertatem jugulantes, dum quod omnes ſpectat, ad omnes refertur?

Plane malevolentia hæc Dzikovienſium, quo magis de omnibus Actis ſuis ad reſpondendum Reipublicæ tenetur, eo graviori temeritate, non modò externis Nationibus, ſed & ipſis Patriæ ſuæ Concivibus, illudere non veretur. Ac ſi non ſatis foret millenis jam falſitatum obſcæniis, vanis pro-

promissis, vagis sponsionibus, ne quid dicam, de venenatis magnorum in Republicâ Virorum criminationibus, publicam credulitatem infascinâsse.

Quod de binis Interregnis callidè allegant, quibus ex unâ parte Abdicationem Ser^mi Regis Augusti Secundi, ex alterâ Legitimationem Electionis sui Stanislai stabilire prætendunt, palam est, magnam inter hæc Interregna fuisse differentiam: Primas Radziejowski Regem Coronatum, quem ipse non proclamaverat, cuique offensus erat, Sueticâ pro tunc instigante Potentiâ dethronisare, (non obstante Juramento fidelitatis, quo ei obstrictus erat) nitebatur. Primas vero Szembek cui justi, & honesti ratio cura fuit, per Interregnum â se promulgatum tempus reditui ad Regnum Eidem Augusto, Regi legitimo maturavit. Quod quam gratum & acceptum fuit Reipublicæ, loquuntur Acta Regni publica, ac vel maxime Sancita Consilii magni Varsaviensis de Ao. 1710., demum Comitiorum Pacificationis A. 1717., & posteriora Grodnensia Ao. 1718. atque subsequentia, in pacificâ Republicâ peracta, nullâ Potentiâ Externâ (prout malitiosè contrarium innuunt) impellente

Deinde juxta Dispositionem Legis quæ post abdicationem Joannis Casimiri lata, & inter Pacta Conventa Regi Michaeli inserta est, circa Abdicationes Regum, simul-

ſimultaneam requiri exvinculationem, videlicet tam Regis à vinculo quo Regno obſtringitur, quam & Statuum Reipublicæ ab ulteriori obedientiâ. Quod quia defuerat ad Abdicationem Ser^mi^ Regis Auguſti Secundi, per conſequens Tractatus ſubreptitius Altradſtadienſis, valorem habere non potuit.

Malitiosè pariter interpretantur Conſtitutiones: *De non præſtanda obedientiâ.* Nam hæ eædem Leges præſcribunt modum & gradus, quibus Primas cum Statibus Reipublicæ procedere debeat, antequam ad exvinculationem ab obedientiâ perveniant. Non privata anſa in Primate, non alienæ Potentiæ inſtigatio, ſed juſtæ cauſæ monendi Regis (quibus Cardinalis Radziejowski carebat) ad talem actum manuducere debuerant.

Hinc ſi impoſitionem, ſeu ut illi volunt relectionem & reinductionem ſui Stanislai (inſiſtendo videlicet primævæ illi Electioni in Ao. 1705. cui Generalis Horn, nam Primas ipſe deerat, centenis in circa Electoribus præſidebat, atque hunc & non alium ſuſtinuerat) legitimare ex allegatis volunt, volunt inſimul Cardinaliſſimas Leges, magno motu jam ante ſæculum & ultra ſtabilitas abolere, (ac vel maxime

eas, quæ de Annis 1593. 1607. 1670. in Literis Universalibus Ser^mi^ Regis Augusti exprimuntur) quarum tenore omnis intrusor, quisquis ille fuerit, qui Regi viventi Coronam detrahere vellet, etiamsi ipse coronaretur (uti pro tunc Stanislaus nulliter coronatus fuit Varsaviæ ab Archi Episcopo Leopoliensi) pro perduelli, pro hoste Patriæ, pro Capite invindicabili declaratur, & in ævum à Coronâ & Regni Domicilio excluditur, eo ipso in perpetuum incapax, quia præsumeret.

Has ipsas Leges Confœderatio Sendomiriensis, & Acta Comitiorum superius hic allegata, solennissimè directè contra personam Stanislai Leszczynski reassumpserunt, & ad manutentionem earum Status Reipublicæ Juramento sese obstrinxerunt.

Proinde primævæ huic obligationi insistendo præcipuè hi omnes, qui Pragam recesserant, Legesque prætactas in vigore suo manutenere volentes, nulla ratione induci poterant, ut exclusum per Leges â tribus Ordinibus Reipublicæ sancitas, iterum pro Rege assumerent, aut recognoscerent.

Deinceps in aperto est, quantis curriculis, quanto Legum despectu, quantâ Libertatis oppressione, per insidias & mortis cominationes reimpositio hæc fuerit instituta. Palatinus

tinus Inovladislaviensis, Generalis Majoris Poloniæ à ſiccario trucidandus erat, ni præmoneretur, ne Electioni Candidati Gallici in Campo ſe opponat, proinde Pragam ſecedere coactus eſt. Ad Palatinum Podoliæ in fronte Palatinatus ſui equo inſidentem, bis exploſum eſt, & certe tanquam intentionibus ipſorum non correſpondentem, periturum volebant, ni Nobilitas eundem in meditullium ſui pertraheret, & ab ictibus defenderet. Ipſa quoque vocis teſſera quæ tunc intra ſolennitates Electionis per ora volitabant: *Melius eſt excidium, quam Sciſſio*, demonſtrabat non fuiſſe curæ ſalutem noſtram, non fuiſſe Legum & Libertatum obſervantiam, ſed fuiſſe ſtabiliendæ factionis quoquô modo intentum.

E converſo in Kamionenſi Electione omnes prærogativæ Libertatis religiosè obſervatæ, Aſſenſus Electoris populi ter exquiſitus, opponentes amice ad aſſenſum reducti, nemo vi, nemo minis adigebatur; Candidatus nullô Legum cardinalium nexu ab Electione excludebatur, nulli Vicinorum, cum quibus pacem & amicitiam colere Reipublicæ intererat, obnoxius aut offenſus, Regno vero multis titulis & æmolumentis opportunus ac proficuus, liberè & pacificè electus eſt.

Et quod de Generalis Lacy literis interceptis produnt, falſitas hæc, jam ante ejusdem Generalis, tum & Miniſtrorum Ruſſiæ teſtificationibus, ſed magis ipſa rei veritate, expun-

cta patuit, nam notorium est prætactum Generalem (qui ad solam extrusionem infensi Vicinis Candidati Varsaviam properabat) procul cum copiis suis à Campo Electorali Kamionensi absuisse.

Vitio adhuc habetur, quod Dissidentes in Statu, clementer ad Unionem invitentur: nec mirandum, assuetis geniis ad despoticum prædominium, ad cædes & incendia, ad capturas & proscriptiones, quas in æqualitate & paritate nobilitari exercere non verebantur, insolitus est Clementiæ & moderationis stylus.

Magis ipsis arridet falsitas, quâ totum Scriptum suum implevere: dicunt iterum, sed non probant, *Nobilitatem Regni edictis Moschorum ad Conventus compelli, & recognitiones violentiis extorqueri.*

Sed quo loco violentia hæc & coactio facta? si Augustus Rex hos omnes, qui sponte eum recognoscunt, nullo Juramenti nexu, sed sola fidei & verbi nobilitaris conscientiâ obligatos sibi voluit, quid eget forti impulsu ad ea, quæ Rempublicam & Bonum commune omnium concernunt? Evidenti utique sunt testimonio numerosissima Palatinatuum Comitiola, quæ sponte ac liberè Nuncios à se electos, ad Comitia Generalia Pacificationis destinant.

Fru-

Fruſtra in nos retorquent culpam detentionis Cel^mi^ Primatis, nam hæc non aliâ de causâ ſucceſſit, quàm quod ſortem Candidati Gallici, quem copiæ prætactæ quærebant, ſecutus Gedanum fuerit. Cæterum poſtquam ſponte partibus ejus renunciavit, Regemque Auguſtum recognovit, priſtinæ libertati atque Primatiali dignitati illico reſtitutus eſt. Et quod ſincerè partibus Ser^mi^ Regis Auguſti adhærere conſtituerit, & ex quibus motivis reſolutionem hanc aſſumpſerit, patet non modo ex literis ipſius, quibus mentem ſuam omnibus Palatinatibus, Terris, ac Diſtrictibus pro Comitiolis explicavit, verum etiam & ex his, quas ad Summum Pontificem expedivit.

Sequuntur jam exemplum ejus multi Procerum & Incolarum Regni poſteaquam ſufficientem omni ex parte Libertatibus patriis, ac inalterabili Reipublicæ Conſtitutioni ſecuritatem perſpexerunt, poſtquam Pacis & tranquillitatis inſtaurandæ tam internæ quam externæ certitudinem adverterunt poſtquam è converſo deceptiones Partis adverſæ & involutiones belli in detrimentum Patriæ vergentes, maturius conſiderarunt.

Idem erat motivum & Exercitui Regni utriusque authoramenti, dum adverteret omnes adverſæ partis intentiones, non ad ſalvandam Patriam, ſed ad involvendam majori bello Rem-

Rempublicam, quô Gallicas res ſublevaret, tendere, tum maximè, cum ad irruptionem in Hungariam & in Imperii Provincias ſollicitaretur; & quamvis naturalis militiæ ardor ſtimulum addebat, ea tamen Exercitui deerat impietas, ut privati lucri ſtudio, Patriæ ſuæ quæ ipſi ſtipendia providet, pericula accerſere velit; quo nomine optime de Republica meruit.

Cæterum quâ mente, & quàm furtivè Diadematum & ſuppellectilis Clenodiorum Regni ablatio ex Theſauro Regni facta fuerit, plusquam notum eſt omnibus. Falsò allegatur præmonitos fuiſſe Senatores, nam hi, quibus ſcire competierat, qui per legem aſſignati ſunt ad cuſtodiam, & Claves penes ſe aſſervant, ſuntque in reſpondendo capaces, minime ſciverunt de hoc Dni Theſaurarii Regni facto, ideoque ſolennem deſuper ſuo & aliorum nomine Manifeſtationem ad Acta Varſavienſia porrexerunt.

Finaliter pro Coronide Manifeſtationi Regiomontanæ reſponſum eſto: Sermum Regem Auguſtum unâ cum Statibus Reipublicæ, impotentis malitiæ minas infra ſe putare, minimeque curare, quæ dicant, quæve ſcribant, dum facere facienda ſinant.